n°. 119.

~~N° 38.~~

obs. de M. alix
chir. à fulde

Observatio

Pili in Pulmone, haemoptisis causa. Morbi Exitus.

Artifex frigerodiensis octo decim annorum, filius mulieris cujus in observatis meis jam mentionem feci,* Per vices violente torquebatur praecordium anxietate, palpitatione cordis, Difficultate respirandi, Dolore gravativo fixoque inter quartam et quintam costam veram Dexteri lateris, qui eum semper ut plerumque solet in ista parte decumbere cogebat. Aderant praeterea tussis violenta, sudores nocturni, Agrypnia, alvi constipatio, et febris non exigua.

* fasci. Prim. obsv. XV, pag. 69.

Hisce morbus insultabat symptomatibus, dum ad aegrum vocatus fui. medicamina indicata incassum tentavi. in pejus semper ruebat morbus, dum felicem eventum frustra sperarem. Eadem, quae modo dixi, symptomata constantes persistebant, ac praeterea corporis consumptio, appetitus viriumque dejectio, ac lenta demum febris sese jungebant. certe aegri rem tum in pessimo versari judicaveram.

Tempore quo aegri mortem in propinquo esse credidi, non sine magna admiratione de melioribus aegri rebus nuntium accepi. Decrescebant symptomata, dum per duos dies magnam sanguinis copiam multis pilis mixtam expuerat. interim adhuc valde debilis erat.

De veritate relationis dubitabam, sed nuntius dubium meum abstulit, dum Pilos adhuc sanguine mixtos, quos cum sputo expulserat aeger, mihi ostenderet, bona fide affirmans hunc morbum non e naturali causa, sed maleficio quodam duxisse originem.

Cum res ita se haberet, cessante causa cessaturum effectum existimavi. Pili nempe in pulmone retenti et ibi orti haemoptisin causarerant, hic igitur ejectis cessare debebit morbus. Remedia itaque quasi inutilia existimavi, nihilque magis necessarium duxi quam bonum regimen, diaetam congruam. Ex voto res successit, post sex heddomades aeger meliore fruebatur valetudine, ut ad me commode ire potuerit licet iter quatuor milliorum facere debuerit. Post annum et dimidium eum adhuc bene valentem vidi.

Reflexio

Ex hic modo dictis patet haemoptisin symptomataque pessima ex pilis crispatis, in pulmonibus, ut videtur lente ortis et retentis suam duxisse originem. Hi paulatim crescendo duriores forte redditi partes vicinas irritarunt, unde respiratio ac circulatio laesa, major humorum affluxus, exterior vasorum liquorum accumulatio, stagnatio, vasorum dilaceratio fluidorum effussio etc: inde haemoptisis et reliqua symptomata. morbi

leir ac symptomatum cessatio, meliorque qua post sputum capillorum aeger gaudebat, valetudo, pro mea stare opinione videntur.

Quomodo pili in pulmonibus orti sint mihi explicatu difficile est. utique vitium quoddam vel solidorum vel fluidorum, vel utrorumque supponere necesse erit. Scimus fila serica, fila aranearum primo liquida esse dum e corpore prodeunt. tela cellulosa nostri corporis initio liquidum, puto lympha erat, de quibus celeberrimus Bordeu legi meretur.*
Scimus non nunquam post morbos pectoris acutos pelliculam quandam ac filamenta intra pulmones et pleuram, quoque intra cor ac pericardium calore coagulata esse. cur ergo non aeque causa quadam extraordinaria pilos, sive corpora pilis similia, in pulmonibus e lympha quadam ubi deposita concretos sisti posse credibile esse existimabimus? forte lymphae illius quoddam vitium eam ad id idoneam fecit: calor forte ac aliud quidpiam in causa fuit, cur particulae tenaciores juxta longitudinem cohaeserint, aquosum avolaverit &c.

Multa de hoc morbo scripsit Meckel, causamque in abusu rerum non naturalium, in pravo victu &c. quaerit. utique abusus talium rerum succos nostros vitiare atque ad ejus modi difformationes disponere potest.

Sunt et alii Autores qui similes fere historias narrant. V. g. Cor villosum vidit Bose.** Substantia cellulosa gossypio simili cor involutum observaverunt Meckel, De Haen, Doazan,*** illustris Morganus idem fere observavit cum ista tamen differentia, quod non tantum cor tali substantia tectum esset, sed et pericardium. Superficiem cordis substantia medullari molli non absimili inductam vidit celeb. Senac. Morganus adhuc aliam observationem habet, ubi sectione cadaveris cor et pericardium, simul per ligamenta cylindrica conjuncta reperit. Exempla seu similia in bovibus cadaveribus invenit et narrat Weitbrecht.****

---

* Sur le Tissu muqueux.
** Progr. de corde villoso.
*** Hist. de l'Acad. des Sciences 1760
**** comment. acad Petropol. T. III. ~~ao~~ 1733.

inter omnes observationes ista Schreiberi meae similior est isto tamen discrimine, quod aeger meus capillos sanguine expueret, Schreiberi vero aeger materiam, Albam tenacem sanguine mixtam exhimebat, atque secto cadavere cor villosum repertum fuit.

Non miror aegram ad adstantes morbum hunc a causa supernaturali derivasse; quippe ea, quorum causas ignorant, plerumque maleficiis, aut diabolo adscribunt, praecipue si Parochus aut religiosus quidem in quo omnem hi homines fiduciam collocant aeque ignorans ac superstitiosus est.